



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KAOLACKENSIS** * PRAEFECTURA
APOSTOLICA KAOLACKENSIS, IN SENEGALIA,
AD DIGNITATEM DIOECESIS EVEHITUR.

Christi Vicarii inter homines, qui ob unam eam causam e caelorum amplitudine in has terras descendit ut ignem caritatis et amoris accenderet (cf. *Lc. 12, 49*), et Nos omnibus viribus contendimus et elaboramus ut non solum in christianis pectoribus hic ignis ardeat, verum etiam summo opere annitimus ut cunctis gentibus, quotquot orbis terrarum alit, lucentissima religionis christiana flamma clarescat, inique Christi, adorandi Dei Filii, cognitionem inducat. Quam ob rem, cum in Republica Senegalensi praefectura apostolica Kaolackensis haud minima ceperit incrementa opera et labore Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu, cumque Sacra Congregatio Fidei Christianae Propagandae proposuerit ut eadem dignitate dioecesis donaretur: per hoc enim novos progressus esse in spe, Patribusque ibidem allaborantibus laudem debitam tribui, Nos postquam venerabilem Fratrem Ioannem Baptistam Maury sententiam rogavimus, Archiepiscopum titulo Laodicensem in Phrygia et in ea Republica olim Apostolicum Internuntium, haec decernimus. Praefeturam Kaolackensem in dioecesis formam redigimus, cum debitis iuribus, eodem imposito nomine; quam metropolitanae Sedi Dakarensi suffraganeam facimus, cuius Metropolitae sacer Kaolackensis Praesul ad leges Iuris Canonici subiectetur, ea sane condicione ut Sacrae Congregationi de Propaganda Fide obnoxia maneat. Sedes novae dioecesis in urbe Kaolack statuetur, cathedra in templo S. Theophili, tamquam in loco potestatis episcopalnis, in eadem urbe. Dioecesis praeterea iisdem Patribus quibus adhuc committetur, quibus preces admovemus ut sueta industria, labore, pietate christiana fidei fines, quantum poterunt, proferant. Canonicorum collegium condatur; quod si tamen fieri in praesens nequeat, indulgemus ut eorum loco Consultores dioecesani diligantur, qui Episcopo assint consilio, labore. Ad cetera omnia quod attinet, Iuris Canonici iussa omnino fiant. Ceterum quae mandavimus ille curabit efficienda qui eo tempore quo hae Litterae Nostrae ad exitum deduci debeant, Internuntii munere fungetur, vel quem ipse delegaverit. Re vero acta, documenta exarentur, eaque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittantur.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Iulii, anno Domini millesimo nonagesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri tertio

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS Card. AGAGIANIAN
S. Congr. de Prop. fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Caesar Federici, *Proton. Apost.*
Sylvius Romani, *Proton. Apost.*

*A.A.S., vol. LVIII (1966), n. 4, pp. 272-273 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana